SERIES PATEFACTI NVPER PARRICIDII,

In Ter Maximum Regem Regnúmque Britanniæ cogitati & instructi.

Scripta

a Barclaio.

LONDINI
Excudebat R. B.
ANNO 1605.

EMMANUEL
Collegium Emmanuelis
Cantabrigiæ

SERIES PATEFACTI NVPER *parricidij, in Ter Maximum* Regem Regnúmque *Britanniæ* cogitati & instructi.

DUbitatum iam ab antiquitate est, Vtrum omnibus sceleribus indicere pœnam, an omittere præstaret ea quorum immanitatem Natura refugit; credo, quòd malè ominari nollent plerique de genere humano; aut etiam admonere hæc fieri posse scelera quæ damnarent. Sed hæc ætas, & nefandum huius diei parricidium dubitantibus scrupulum ademit. Ostendit corruptos animos licentiam sibi facere, quantam riuuli crepidinibus ruptis, qui neque alueime-

 minerunt,

minerunt, nec niſi per montium inſperatos obices caſtigantur. Ingens, atrox, horridum facinus; quale nec antiquitas vidit, & ægrè poſteri credent; denique velut omnium flagitiorum compendium in hunc diem fortuna contulit. Non vlciſcar atrocitate verborum, quod nulla ſupplicia dignè vindicabunt. Rem aperiam tantâ fide, quantâ perfidiâ geſta eſt. Populi, Nationéſque vel ſtupore damnabunt, vel atrocioribus contumelijs lacerabunt, quàm quas ſtili iracundia profunderet.

Auguſtiſsimo IACOBO tertium iam annum imperante, agebat in altâ pace BRITANNIA, nihil tumultus domi; cum externis fœdus: non videbatur poſſe tentari fundamentum tam benè vallati imperij; cuius vt certiùs ſecuritas viueret, erant dictæ publicis Comitijs Nonæ Nouembres; id eſt, vocati Ordines regni, qui de negocijs publicis cognoſcerent. *Weſtmonaſterium* eſt oppidum ita *Londino* continuatis domibus annexum, vt ea ſola appellatio diſiungat. In eo & Regia ad amnem ſita, & ſecundum eandem ripam paulò ſuperiùs Curia, quæ hos regni conuentus accipit. Sacratiſsimis Regibus digna tan-

Incidit ille dies in 15. diem Nouembris, ſtilo nouo.

tâ

tâ Maiestate sedes. Ad eorum pedes Serenissimi liberi. Cum Rege sacrorum Antistites, & quos BRITANNICA linguâ Dominos dicimus, nempe Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites, & Barones, purpureis vestibus, & capitibus ex antiquissimâ consuetudine tectis. Ciuium mox delecti, Iudices deinde ac Magistratus; & Regis beneficio exterarum gentium legati. Regijs etiam domesticis certæ sedes. Tum reliqui discriminibus confusis, quot capacissima sedes accipere potest. neq; enim melioris notæ quisquam excluditur ab oratione Regis quæ initium cóncilio facit. Non est celebrior in orbe terrarum concessus. Igitur cùm iam instaret illius diei pompa, fortè vir ipsâ celeritate ignotus, Nobilissimi Baronis MONTAQVILII puero literas porrigit; eas domino suo reddere iubet. Nec vlteriùs cunctatus quàm vt epistolam traderet, quod est facile in tam populosâ vrbe, præsertim nihil solicitante puero, se per transeuntes hominum globos confudit. Seruus vt erat imperatum, MONTAQVILIO literas tradit, quas aliquandiu neglectas, tandem in hæc verba conscriptas legit.

Amici-

AMicitia quæ mihi est cum tuorum aliquot, facit vt tuæ salutis curam habeam. Ideo monitum volo vt quo studio vitam amas, eo incumbas prætexendis excusationibus, quæ te à publico Ordinum conuentu eximant. Numen enim & homines conspirârunt in vltionem scelerum quæ hæc ætas tulit. Neque præcautionem spreueris; sed discede ab vrbe ociùs in aliam regni partem, vbi rei exitum securus expectes. Etenim licèt nulla motuum initia se prodant, dico, terribilis ictus in hunc conuentum incidet; neque erunt in læsorum conspectu hi qui lædent. Non est quòd consilium temnas, quod prodesse tibi potest, nocere minimè potest. quippe periculi nihil erit his exustis literis. Eo te rectè vsurum spero, beneficio Numinis cuius te tutelæ resigno.

Literæ

Literæ erant Anglicè scriptæ, & eo charactere quem vulgo Italicum dicimus. MONTAQVILIVS rei nouitate perculsus epistolam ad Nobilissimum Salisburiensem COMITEM defert: quid facto opus censeat, consulit. Hîc fidelissimus & sagacissimus PVRPVRATVS agitare secum varia: modò cogitare nihil inausum sceleri esse: impia facinora tam mirabiliter aperiri quàm flagitiosè concipiuntur: nunc ociosas populi voces reputare, & inanes vaticinantium metus, qui sæpè nullo argumento calamitates publicas portendunt. Inter hanc animorum iactationem penè factum, vt nullius fidei literæ haberentur. Tamen ne quid etiam tutum in tanto negocio non timerent, placuit de eâ re ad nonnullos Sanctissimi Concilij referri. Lecta epistola in aliquorũ cœtu pluribus risum quàm securitatem excussit. Euincebat opinio refutantium hos timores; cùm in tanta tranquillitate rerum nec timendum censerent, nec excitandos diuulgatis suspicionibus rumores, qui distraherent populi mentes, & ineptis terroribus consternerent. Quem enim iam in BRITANNIA rebellare? quem habere comparatam

in insulâ manum? aut cuius vires instar hyberni torrentis tam subitò exundaturas, vt in ipsâ satellitum turbâ Regem cum optimatibus opprimat? Iterato tamen de eadem re actum; excussæ diligentius timoris causæ, tandémque decretum vt de eo negotio REX ipse cognosceret? Is, perlectis diligenter literis, haud secus quàm pro re motus, se verò non contemnere dixit hanc vocem quam ipsi sceleri bona fortuna extorserat. Voluerunt fata vt suorum quidem fidelitati; suæ verò prudentiæ vitam Rex tantus deberet. Cùm enim diligentiùs inhæreret illis literis, subitò exclamauit: (diceres hanc chartam plus illi quàm cæteris dixisse) *aut nihil se videre, aut facinorosos destinasse sulphurei pulueris tormento grande scelus exequi: nec dubitare se quin ipsam Curiam cum Purpuratis omnibus hoc fulmine humano velint de sedibus suis mouere, & regnum in suis capitibus exterminare.* Tam subita Regis diuinatio omnibus incusserat metum; & quoniam illius constantiam nouerant, & quia iis argumentis nitebatur quæ necdum alius aduerterat. *Quid enim? aiebat; quod scribunt non fore*

in læsorum conspectibus qui lædent, quid est aliud quàm has machinas, & sulphuris violentiam minari? quòd deinde exustis literis cessare periculum aiunt; nunquid obscurè dictum est, subitam flammam fore, quam qui euaserint in securo consistent? Obstupescentibus ad tantam solertiam omnibus, tamen fatorum iniquitas penè tanti consilij prudentiam extinxit. Etenim cùm pridiè illius diei qui & publicis conuentibus, & tanto sceleri erat indictus, REX delegasset prouinciam perscrutandi omnes latebras vnde hæc tempestas posset erumpere, Nobilissimo SVFFOLCIENSI Comiti, summo Regij Cubiculi Præfecto, ipse inuestigatis diligenter omnibus, retulit non esse certum tanti facinoris indicium, nec in inferiori sede ac velut subterraneâ quæ Curiæ subiacet, aduertere aliud potuisse præterstruem fascium, quos in hyemem conductor reposuerat, in quibus aliqua posset tamen suspicio delitescere. Tum REX generosum Equitem delegat, THOMAE KNEVETO nomen est, qui excuteret suspectam fascium fidem, videretq; ne quid insidiarum illa sedes reciperet. Ratus callidos

homines sibi destinasse hanc vltimâ noctem, in quâ suæ nequitiæ instrumenta ad regni interitum expedirent. Hîc aliquando victa virtute impietas est, & mala regni fortuna manus dedit.

THOMAS PERCIVS erat Regi & naturæ iure & magnis beneficijs deuinctus; quippe etiam in Pensionariorum numerum receptus: Ita vocant selectos ex amplissimis familijs ad illustrem & præcipuam BRITANNICORVM Regum custodiam. Is cùm immane parricidium animo destinasset, admissis aliquot in tanti facinoris communionem, id hoc ordine explicare decreuerat. Accitus erat ex BELGIO, vir qui in ANGLIA natus duodecimum iam annum HISPANIS operam dabat. Hic coniurationis minister, vt meliùs falleret, se pro PERCII dudum famulo gesserat. GVIDO FALS parricidæ nomen est. Penè à biennio conduxerat hanc Curiæ partem: credo, ne suspecta nouitas, & vt lenti apparatus obscuriùs cogerentur. Ibi sceleris velut domicilium constitutum. Vim in eo ingentem sulphurei pulueris detruserat, cùm primò in diuersis

uerſis conſciorum domibus ſine ſuſpicione duceretur: Ac vt omnem ſcrutantiũ eluderet curam, compoſito lignorum aceruo ſuppoſuerat fatalem illam mercem. Sed illo demum tempore curatis diligenter omnibus, cùm inde paulò poſt mediam noctem digrederetur, KNEVETVS, vt erat imperatum, hominem adoritur: quid eo præcipuè tempore ibi ageret, quærit. Ille neſcio quæ mentitus ſe in craſtini vſum adornaſſe: iubetur reſerare oſtium quod in illam ſedem ducebat. Erat cum KNEVETŌ & Magiſtratuum manus & ſatellitum. Fingebatur neſcio quos regios tapetes è proximo ſubtractos eſſe: eos hac diligentia quæri. Igitur cùm amoueri cæpiſſet lignorum ſtrues, occurrit primò dolium mediocre: mox vis tanta tormentarij pulueris, vt non domum euertere, ſed corrumpere ciuitatem poſſet. Dolia erant triginta duo in ijs electiſsimi pulueris pondo penè millia nouem. Super dolia ferreæ maſſæ, quæ flammæ viribus elatæ vltra fulminis impatientiam fæuirent. Etiam lapides, & ingentia velut rupium fragmina, quæ ædificij moras ſuo impetu tollerent. Sed in eam rem maximè in-

tenderánt curam, ne Regem incolumem hæc tempeſtas omitteret. Intra regiam cellam dolium erat poſitum multo cæteris capacius; quia etiam inermem maieſtatem ſine magno apparatu aggredi timebant. Nec dubitatum eſt quin ſi hoc ſcelus exitum habuiſſet, cecidiſſent vltra triginta millia mortalium, euerſis compluribus ædificijs, ne miſera ciuitas vnica clade deformaretur. Etiam periiſſet auguſtiſsima ſedes (*Weſtmonaſterium* appellant, vnde & oppido nomen) tot Regum inauguratione ſolemnis, tot tumulis religioſa: Ibi Regni inſignia; ibi memorabile ſolium, propter ſubiecti lapidis famam, & de eo patrum fidem. Templum, præter auri marmoriſq; precium, & Henriciani ſacelli decus, quo elegantius EVROPA non habet, ipſa antiquitatis maieſtate ſpectabile. Ac ne perduelles ſanctitati vmbrarum parcerent, quieta omnium penè Regum oſſa eo facinore laceſſebantur. Iacuiſſent euerſa monumenta vetuſtatis, & propè pulcherrima memoria triumphorum. Huic Templo vicinum ærarium, & tot in eo arcana eadem clades petebat. Nec ſuperuixiſſet incendio Curia, vbi ius popu-

lo dicitur; ne ſcelus & perfidiam poſſet vlciſci. Ita complectebantur omnia vno facinore. Non reliquerant nouo ſceleri locum; & ipſam furiarum inuentionem fatigauerant. Igitur cùm loquentibus rebus ille nefarius nihil amplius negaret, concubia adhuc nocte in regiam ducitur. Is collecto ſpiritu animoſus, *Scio*, inquit, *& inſtare mihi mortem, nec quid eâ grauius in me poſſe decerni. Itaque non expectabo vt tormenta confeſſionem exprimant: Etiam hoc cum laude dicendum eſt: fuit mihi is animus quem ex tanto apparatu colligere potuiſtis. Regem, Principem, Optimates, vnâ cæde tollere volui: nec quæritequid me ad illius conſilij magnitudinem extulerit. Sacrorum meorum amor hunc animum immiſit vt in aduerſarios quacunque audaciâ ſæuirem.* Nec degenerabat à verborum conſtantiâ interritus vultus; credo, quoniam ſpes aberat; ſcrupuloſa trepidationis parens: Et verò maximum in præcordijs dolorem ſæuire dicebat, quòd non proceſsiſſet meditatum facinus, & tam grande conſilium fortuna prodidiſſet.

Erat palam ab altiori fonte decurrere hanc coniurationis Stygem. THOMAS PERCIVS

CIVS eo die qui noctem penè fatalem præcesserat, velut ad negotia excedens, diuersis Labyrinthis turbauerat vestigia fugæ suæ, cùm subitò eum in armis esse nunciatum est, & collectâ coniuratorum manu huc illuc diuersis voluminibus circumferre contemnendum agmen, vt quod vix sexaginta equites implebat. Peditem in jis neminem esse. Generosos aliquot Nobilissimi HARINTONII equos rapuerant, fures magis quàm hostes. Et penè parricidarum consilium palam erat, voluisse sublato Rege, & confusis miserabili calamitate omnibus, serenissimam ELIZABETHAM Regis filiam, quæ Burlij educatur, in potestate suâ esse: eam deinde collocare nuptui, prout rerum status, & vel externorum exigeret fauor, vel metus vrgeret. Sed populus ab eorum scelere auersus. Quocunq; se contulerant, aut Oppidani aditu prohibebant, aut etiam infestis armis abeuntes prosequebantur. Itaq; tertio die postquam aggregari cœperant, in ipso Britannię sinu ingenti miraculo oppressi sunt. Regionis quam infestabant Iudex, cùm necdum emanasset Westmonasterienſis sceleris fama (quippe vl-

tra centum millia passus Londino aberant) tantúmq; audiret esse armatos qui homines publicè ad Romanæ fidei professionem vocarent; misso ad eos nuncio significari iubet, quia cædibus hactenus abstinuissent, si recederent ab amentiâ, armáq; ponerent, vltro se pro illis suppliciorum deprecatorem fore: mallent clementiam experiri quàm fortitudinem Regis. Illi gnari præclusam spem venię magnitudine facinoris, superbis etiam verbis cunctantem Iudicem exasperant. Neq; se illo aduocato egere; & si ad eos veniret, aut hoc firmâ manu faceret, aut ipsius damno fore. Sanè videbantur maiorum virium quàm vt imperitâ oppidanorum manu premerentur. Sed ibi etiam fortuna & Regi & Britanniæ vicit. Rusticus, villæ familiaris in quam se receperant, in puluerem sulphureum quem ipsi pluuio aëre corruptum ad ignem siccabant, scintillam imprudens immittit. Ille statim conceptâ flammâ dominorum suorum scelus vlciscitur; in eorum vultus inuadit: aliquorum frontes exustæ, aliquorum membra. Et inuadendi facultatem, & sustinendi hostis robur, idem casus sustulit. Aliqui profugerunt; nocentiores restiterunt,

velut ad ſupplicium. Interim villa in quam ſe receperant oblato ab oppidanis incendio cæpit ardere: duplici malo circumuenti; cùm & arma foris, & intus incendium vrgeret, maluerunt ferro cadere quàm ſolui lentioribus flammis. Deſperatione pleni in medium prodeunt, non aliquâ ſpe vitæ, ſed tantùm mortem mutaturi. Ibi primùm omnes in genua procidunt cùm PERCIVS Virginis imaginem prompſiſſet. Eâ adoratâ ad prælium accenduntur. PERCIVS, & CATSBEIVS iuncto inter ſe dorſo circumuenientem multitudinem ſubmouent. Sed glans plumbea tranſuerberato CATSBEIO etiam PERCIVM ſauciat. Necdum enim audiuerant Oppidani tantæ perfidiæ authores ex Regis præcepto viuos capi oportere. CATSBEIVS cecidit: PERCIVS, viuus quidem in manus venerat, ſed biduò deinde ex vulneribus conſumptus eſt, facilè deinde profligati perduelles: mox Alij vt quemque fuga & metus abſtulerunt, per diuerſa diſsipati. Plurimi tamen capti, modò publicis cuſtodijs reſeruantur. Nec abſtinuerunt hoc flagitio fœminæ: quaſi deterior ſexus timeret eſſe innocens, corrupto meliore.

Illę

Illę quoque detecto facinore in carceres missę sunt: dignæ misericordiâ, nisi omnes miseros esse voluissent.

Quid huic par sceleri? aut quæ cum eo componenda crudelitatis atrocitas? Mithridatis furor vnâ nocte in ciues Romanos totâ Asiâ sæuijt. Siculi Vesperam suam cæde Gallicâ nobilitauerunt. Vtrobiq; certum hominum genus quærebatur, & ipsa crudelitas sibi fas aliquod præscripserat. Isti, specie quidem partium, sed velut æquali in omnes odio, id videntur quæsijsse, ne quis esset qui non eos victos lætaretur. Sed præcipuam in hoc facto prudentiæ gloriam nec auferre homines Regi possunt, & videtur Optimum Numen approbare omnibus voluisse, eum suo fastigio dignissimum esse. Cùm erupisset ex tanto incendio non tam scintilla quædã, quàm fumus & nebulæ; id est, argumenta, sed illa per obscura, destinati facinoris, hæc omnibus penè infra curam ponentibus, solus Rex non contempsit. Iussit indagari sceleris vestigia, ne aut suâ culpâ moreretur, ant fortunæ beneficio viueret. Quæ illęc prudentia? quę omnibus sceptris digna sagacitas? Cùm deinde

perditorum facinus ita esset ex tenebris extractum, vt nondum periculi moles ceruicibus depulsa videretur, solus ille cui omnes maximè timebant, solus Rex inturbatâ fronte constitit. Quæ demum ista animi magnitudo, & digna Heröum consortio virtus? Tibi Pater Patriæ Imperiũ quod hodie tuâ virtute viuit, fata diutissimè sospitent. Tibi vitam quam tot hominum millia immortali tuæ prudentię debent, omnes Gallicæ deuotionis exemplo destinent. O Auguste, ô Britannice, ô Rex, cuius vitam in hoc seculum fata dispensarunt, ne periclitanti patriæ vltimum esset.

O Scelus! ô veterũ proles vesana Gygantum!
Iamne iuuat bellare dijs? iam turbine diro
Iam reuocare chaos, Patriæq; indicere mortem?
Sæcula tot, stirpésq; deûm, Patrumq; labores
Vna cæde rapi? Furiæq; Erebusq; negarent
Hoc tantum dictare nefas. Exhorruit æther,
Et fremuere dij, stupuitq; exterritus orbis.
Regem etiam vis illa petat, quo sydere mundus
Purior, & nostras melior lux aspicit oras?
Hunc Regem vis illa petat, quê Marte secundo
Nunc iterum tegit ista dies? Quid perfida tela
Abdere,

Abdere, quid tanto componere ſulfure fulmen;
Quid iuuat occultæ tot ſemina condere flammæ?
Ah miſeri prohibete minas. Sua Numina nouit
Fulmen, & in magnum neſcit peccare Tonantem.

ERgóne conciliũ ciueſq́, homineſq́, Britanniq́,
O dolor! hoc ineant? Laceriũne per æthera Regẽ
Spargere, quem cœlo meliùs feret ardua virtus?
Purpureoſuè patres alio iam tingitis oſtro,
Sanguine, cæde, rogis? cunctos diſcrimine nullo
Tollere decretum eſt, iraſciq́, omnibus annis?
Non eſt, non hominũ ſcelus hoc. Vt Tartara cernas
Id molita nefas; imæ de pectore terræ
Impetus, eq́, fero venisset flamma Barathro.